

PONTIFICIUM CONSILII
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATIONES

VOL. XXI - N. 2

1989

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 1989

Sped. Abb. Postale - Gruppo IV - 70%

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

ALLOCUTIONES

Allocutio Summi Pontificis ad coetum quendam Advocatorum Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis, sodalium «International Academy of Trial Lawyers», coram admissum	107
Allocutio Summi Pontificis eos, qui conventui nationali studii ab «Unione Giuristi Cattolici Italiani» celebrato interfuerunt, coram admissos	109

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO DE DOCTRINA FIDEI

Decretum quo, ad Poenitentiae sacramentum tuendum, excommunicatio latae sententiae illi quicunque ea quae a confessario et a poenitente dicuntur vel per instrumenta technica captat vel per communicationis socialis instrumenta evulgat, infertur	112
Rescriptum ex Audientia SS.mi formulas Professionis Fidei et Iuris iurandi Fidelitatis contingens foras datur	113

SUPREMUM TRIBUNAL SIGNATURAE APOSTOLICAE

Declaratio. De foro plerarumque probationum	114
Declaratio. De foro competenti in causa nullitatis matrimonii, post sententiam negativam in prima instantia latam	117

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studii «De Quaestionibus specialibus Libri II» (Sessio II)	119
II. Coetus studii «De Personis physicis et moralibus» (olim «De Quaestionibus specialibus Libri II») (Sessio III)	137
III. Coetus studii «De Personis physicis et moralibus» (olim «De Quaestionibus specialibus Libri II») (Sessio IV)	165
IV. Coetus studii «De Personis physicis et moralibus» (olim «De Quaestionibus specialibus Libri II») (Sessio V)	205
V. Coetus studii «De Personis physicis et moralibus» (olim «De Quaestionibus specialibus Libri II») (Sessio VI)	246
VI. Coetus studii «De Magisterio ecclesiastico» (Sessio VI)	274
* * *	
Opera a Consilii Bibliotheca recepta	316
Notitiae	317
Index Rerum Generalis	319

III

COETUS STUDII
« DE PERSONIS PHYSICIS ET MORALIBUS »

(OLIM « DE QUAESTIONIBUS SPECIALIBUS LIBRI II »)

Sessio IV

(diebus 25-28 martii 1969 habita)

Diebus 25-28 martii 1969 in Aula huius Pontificiae Commissionis habita est IV^a Sessio Consultorum, qui coetum studiorum efformant, ad recognoscendas normas « de personis physicis et moralibus » (olim « de quaestionebus specialibus Libri II »).

In conventibus partes habuerunt Rev.mi tres et Ill.mus unus Consultores.

Munere Relatoris functus est Rev.mus Onclin, Commissionis Secretarius Adjunctus. Rev.mus De Nicolò, Adiutor a studiis Commissionis, acta rediget.

Aliquibus conventibus partem habuit Em.mus D.nus Cardinalis Pericles Felici, Praeses Commissionis.

Quaestiones hac in sessione pertractatae sunt:

- I) De personis moralibus seu canonicis vel iuridicis in genere.
- II) De actibus iuridicis.
- III) De officiis ecclesiasticis.

Ineunte sessione, data tamquam lecta, Relatio prioris coetus ab omnibus probatur.

Animadversiones scriptas ad Secretarium Commissionis miserunt Exc.mus unus ac Rev.mi duo Consultores.

I

RECOGNITIO CANONUM DE PERSONIS CANONICIS
SEU IURIDICIS

Canon 1 (CIC 99)

Textus in Sessione III^a probatus ita sonat:

« In Ecclesia, praeter personas physicas, sunt etiam personae iuridicae seu canonicae, subiecta scilicet in ordine canonico obligationum et iurium quae earum indoli congruunt ».

Rev.mo primo Consultori magis placet locutio « personae morales », quam « personae iuridicae seu canonicae »: agitur de subiecto obligatiōnum et iurium, quod non est persona physica; insuper requiritur ut terminologia sit constans et non adhibeantur promiscue diversae locutiones; deinde locutio « persona moralis » est in possessione, et non videtur adesse ratio peremptoria illam mutandi.

Eidem Rev.mo primo Consultori videtur insuper omitti posse in canone verba « subiecta scilicet... », quae praebent tantummodo descriptionem quae communiter admittitur.

Declarat autem se non insistere ut illae mutationes admittantur.

Rev.mus Secretarius Ad. censem locutionem « personae canonicae seu iuridicae » servandam esse: non omnes personae iuridicae sunt etiam personae morales; sane Ecclesia agnoscere debet personas morales, etiam eorum indolem moralem; eas vero agnoscendo et in ordine canonico integrando, constituit eas ut personas etiam iuridicas. Ipse praefert locutionem « personae canonicae », quia ita distinguuntur personae iuridicae ordinis canonici a personis iuridicis ordinis civilis.

Post aliquam disceptationem, omnes Consultores consentiunt ut textus remaneat uti erat probatus.

Canon 2 (CIC 100)

« Personae iuridicae constituuntur, sive ex ipso iuris praescripto sive ex speciali auctoritatis concessione per formale decretum data, sive communitatis personarum sive rerum complexus, in finem spiritualem, qui singulorum finem transcendent, ordinati ».

Rev.mus Relator refert animadversionem Rev.mi primi Consultoris circa textum huius canonis. Haec Rev.mus primus Consultor in suo voto habet: « Terminus ‘erigere’ complectitur — uti aiunt — significationem ‘constituere’ et ‘recognoscere’. Hoc supposito mihi magis placeret hic textus: « Personae morales eriguntur sive... ».

Huic observationi accedit Ill.mus secundus Consultor quia revera recognitio saepe est constitutio, sed posset dari casus aliquid iam positum esse priusquam recognoscatur.

Attamen, sicut iam disceptatum est in priori coetu — arguit Rev.mus Relator — semper requiritur ex parte auctoritatis peculiaris actus quo « sive communitates... sive rerum complexus... » donantur personalitate canonica seu iuridica. Et ideo debet servari textus uti est.

Cum nulla alia animadversio facta sit, textus remanet probatus uti est.

Canon 3 (CIC 100)

« § 1. Personae canonicae seu iuridicae in Ecclesia sunt aut universitates personarum aut universitates rerum.

§ 2. Universitas personarum, quae non nisi ex tribus saltem personis constitui potest, est sive collegialis sive non collegialis, prout vel non est coetus aequalium, cuius membra aequali iure, ad normam iuris et statutorum, actionem communem determinant.

§ 3. Universitates rerum constant bonis seu rebus, sive spiritualibus sive materialibus, easque, ad normam iuris et statutorum, moderantur sive personae physicae sive Collegium personarum ».

Dubitat Rev.mus primus Consultor de opportunitate § 3 huius canonis, quatenus proponat res ad doctrinam spectantes; de caetero haec doctrina ab omnibus admittitur.

Habere suam utilitatem defendit Rev.mus Secretarius Ad.: norma hoc modo fit magis clara, etiam quia non desunt qui tenent omnem personam iuridicam constari personis tantum, et non rebus.

Omnes concordant in relinquendo textu prouti est.

Canon 4 (novus)

« § 1. Personae iuridicae seu canonicae publicae sunt personarum communitates ac rerum complexus, qui ab ecclesiastica auctoritate competenti eriguntur ac deputantur ut intra fines sibi praestitutos nomine Ecclesiae agant; caeterae personae iuridicae seu canonicae sunt privatae.

§ 2. Personae iuridicae publicae hac personalitate donantur sive ipso iure expresse eam concedente sive formali decreto auctoritatis eandem personalitatem concedente; personae iuridicae privatae eadem personalitate donantur sive ipso iure, cum nempe conditiones adimpleant iure ad eam obtinendam requisitas, sive per formale decretum auctoritatis ecclesiasticae eandem personalitatem concedens.

§ 3. Nulla personarum communitas nullusque rerum complexus personalitatem iuridicam obtinere intendens, eamdem consequi valet nisi cuius statuta ab auctoritate ecclesiastica sint probata ».

Quoad § 1:

Loco « eriguntur et deputantur » — notat Rev.mus primus Consultor — melius est forsitan dicatur tantum « constituuntur », tum propter ana-

logiam cum can. 2, de quo iam disceptatum est, tum quia in illo verbo «deputatio» etiam inclusa est.

Omnis sunt concordes in acceptando observationem et in textum inseritur verbum «constituentur» loco «eriguntur et deputantur».

Quoad § 2:

Cum verba aliquid operari debeant — ait Rev. mus primus Consultor — fortasse opportunius diceretur: «Personae morales publicae personalitate donantur sive ipso iure sive formali decreto auctoritatis competentis; personae morales privatae personalitate gaudent sive ipso iure, cum nempe conditiones adimpleant iure ad eam detinendam requisitas, sive recognitione per formale decretum auctoritatis ecclesiasticae». Haberetur securus difficultas circa personas quae iam appellantur iuridicae vel canonicae et quae postea «donantur» personalitate; si dicitur quod iam sunt non debent acquirere.

Attamen, arguit Rev.mus Relator, sunt personae iuridicae vel canonicae, illae quae hac personalitate ab auctoritate donantur: ideoque textus canonis videtur servandus.

Huic opinioni accedit Ill.mus secundus Consultor.

Paragraphus haec non bene sonat ratione linguae latinae — ait Rev.mus tertius Consultor — et habetur aliqua difficultas ad ipsum sensum percipiendum. Aliqua differentia, insuper, debet resultare personam iuridicam publicam inter et privatam, saltem, v.g., per aliquam deputationem in vita Ecclesiae. Differentia ideo inter easdem pressius declarari debet, et modus etiam personalitatem acquirendi debet esse distinctus.

Rev.mo Secretario Ad. videtur satis in textu provisum esse quoad distinctionem inter personas iuridicas publicas et privatas, quia personae publicae donantur et privatae donari possunt personalitate.

Quoad § 3:

Ab Ill.mo secundo Consultore quaeritur utrum sermo sit faciens de approbatione vel recognitione. Curanda est constantia terminologiae cum canonibus de consociationibus, relate ad ipsarum personalitatem.

Observat Rev.mus tertius Consultor quaestionem cui Ill.mus Vir alludit, congruum locum habere in canonibus in quibus de actibus administrativis sermo fit.

Quando agitur de personalitate proprie dicatur «recognitione» — animadvertisit Rev.mus Relator — sed ubi de statutis, bene dicitur «approbatio».

Placet omnibus.

Canon 5 (CIC 100 § 3)

« Personae canonicae seu iuridicae, sive sint universitates personarum sive universitates rerum, gaudent favoribus quibus in iure pollent minores ».

Nulla fit animadversio; remanet igitur textus sicut iacet.

Canon 6

« Personam canonicam publicam repraesentant, eius nomine agentes, ii quibus iure communi vel particulari aut propriis statutis, ad normam iuris conditi, haec competentia agnoscitur; personam canonicam privatam, ii quibus eadem competentia per statuta tribuitur ».

Nulla animadversio fit et ideo textus canonis probatur uti est.

Canon 7 (CIC 101)

« Ad actus collegiales quod attinet:

1° Si agatur de electionibus, et iure aliud cautum non sit, id vim habet iuris, quod, praesente quidem maiore parte eorum qui convocari debent, placuerit parti absolute maiori, aut, post duo inefficacia scrutinia, parti relative maiori in tertio scrutinio, eorum qui sunt praesentes; quod si suffragia aequalia fuerint, post tertium scrutinium, praeses paritatem dirimat; si vero praeses eam dirimere noluerit, is electus habeatur qui antiquior est primum ordinatione, dein prima professione, denique aetate.

2° Si agatur de aliis negotiis, nisi aliud iure caveatur, id vim habet iuris quod, praesente quidem maiore parte eorum qui convocari debent, placuerit parti absolute maiori eorum qui sunt praesentes; quod si suffragia aequalia fuerint, praeses suo voto paritate dirimat.

3° Quod autem omnes, ut singulos, tangit, ab omnibus et singulis adprobari debet ».

Propter logicam iuridicam — animadvertisit Rev.mus tertius Consultor — locutio « eorum qui sunt praesentes » poni debet immediate post verba « placuerit parti absolute maiori ». Omnes concordant.

Canon probatur, cum hac mutatione.

Canon 8 (CIC 102)

« § 1. Persona canonica natura sua perpetua est; extinguitur tamen si a competente auctoritate ecclesiastica legitime supprimatur aut per centum annorum spatium agere desierit; persona canonica privata insuper ex-

tinguitur, si ipsa consociatio voluntate membrorum suppressatur, aut si, de iudicio auctoritatis ecclesiasticae competentis, ipsa fundatio ad normam statutorum esse desierit.

§ 2. Si vel unum ex personae iuridicae collegialis membris supersit, et personarum communitas secundum statuta esse non desierit omne ius communitatis in illud membrum recidit.

§ 3. Iurium patrimonialium et bonorum personae canonicae extinctae destinatio regitur ipso iure et statutis, si persona extincta est publica, statutis propriis, si est privata ».

Cum nulla habeatur animadversio, textus probatur prout iacet.

II

RECOGNITIO CANONUM DE ACTIBUS IURIDICIS

Canon 1 (CIC 103)

« § 1. Actus positus ex vi ab extrinseco personae illata, cui ipsa nequaquam resistere potuit, pro infecto habetur.

§ 2. Actus positus ex alia vi et metu gravi et iniuste incusso aut ex dolo valet, nisi aliud iure caveatur; sed potest, ad normam can. (1684-1689) per sententiam iudicis rescindi, sive ad instantiam partis laesae eiusve ius obtainientium sive ex officio ».

Rev.mus primus Consultar circa can. 1 § 1 notat formulam hanc nondum plene satisfacere. Posset enim quaeri qualis sit vis, de qua hic dicitur illam actum infectum reddere. Si haec vis intelligatur physica, tunc proposicio est superflua, quia talem vim physicam actum inficere evidens est, ita ut mentio explicita sit omittenda. Si autem vis intelligatur moralis, norma habetur in § 2. In iuribus civilibus loquitur de morali vi quae omnem tollit libertatem et alia quae non omnem aufert libertatem.

In legislatione matrimoniali — notat Ill.mus secundus Consultor — ubi metus gravissimus, etsi iniustus, adest, qui tollit omnem libertatem non ex vitio, sed ex defectu consensus conceditur declaratio nullitatis.

Rev.mo primo Consultori videtur casum non pertinere ad rem. Et sunt etiam casus in quibus aliquis non est capax aestimationis moralis.

Rev.mus Secretariu Ad. censem quod ubi adest vis moralis, potest quandoque dici quod omnis libertas aufertur; ergo § 1 remaneat oportet.

Aliam quaestionem proponit Rev.mus primus Consultor: utrum inter canones generales de actibus personarum non sit opportuna dispositio de causis nullitatis actus (in genere).

Loquitur ipse Rev.mus de distinctione fundamentali quae sub hoc aspectu facienda est prouti agitur de elementis actus constitutivis, aut de sollemnitatibus vel condicionibus (iuris). In CIC haec distinctio supponitur, etsi quoad terminologiam non fit distinctio; in utroque casu enim dicitur: actus nullus, scilicet actus qui effectibus iuridicis caret. In can. 1680 § 1 CIC utraque causa nullitatis explicite indicatur; porro in can. 11 eiusdem CIC de legibus irritantibus et inhabilitantibus, agitur de sollemnitatibus et condicionibus (iuris). In can. 1680 ratione prioris causae actus est inexistens et ideo sanari nequit, dum ratione secundae causae actus exsistit quidem, sed iuridice efficax non est, et sanari potest.

Obiicit Rev.mus Secretarius Ad. hanc distinctionem in codicibus civilibus non inveniri et nimis theoreticam esse. Cui opinioni accedit Rev.mus tertius Consultor, qui notat tamen talem canonem meliorem locum habere ubi de normis generalibus, et, tandem, introductionem distinctionis pettam a Rev.mo primo Consultore nimis periculosam esse.

Instat, tamen, Rev.mus primus Consultor aestimans opportunum esse ut inter canones de actibus iuridicis in genere ponatur dispositio quae pro videat supradictae distinctioni.

Rev.mus Relator proponit textum ab ipso Rev.mo primo Consultore in suo voto proposito, ita ut fiat can. 1 huius partis. En textus:

« Nullitas actus (iuridici) tunc tantum habetur cum in eo deficiant quae actum ipsum essentialiter constituunt, aut desiderentur sollemnita vel conditiones a sacris canonibus ad validitatem actus imposita ».

Ill.mus secundus Consultor quaerit an melius non sit dicere tantum « a lege » qua a « a sacris canonibus », quia non videtur restringenda dispositio ad canones CIC tantum: sunt enim — et erunt etiam — multae leges extra Codicem.

Omnis concordant in mutationes ab Ill.mo Viro proposita.

Melius esset, pro Rev.mo tertio Consultore, vertere textum in formam positivam, ut praesumptio statuatur de validitate actus. Et Rev.mus Relator proponit ut dicatur: « Validus est actus iuridicus, nisi in eo deficiant... », insuper censem necesse ut fiat additio qua innuitur distinctio circa personam quae actum ponit: si actus positus est publicus, persona quae eum ponit debet esse competens, si privatus, habilis. Ideo textus esset: « Validus est actus iuridicus a persona habili vel competenti positus, nisi in eo deficiant... », ubi — uti dictum est — verbis « persona habili » indicantur actus privati dum verbum « competenti » publicos actus indicat.

Omnis concordant et ideo textus probatur cum emendationibus propositis et hic fit can. 1.

Textus canonis 1, in initio positus, fit can. 2 et cum nulla habeatur animadversio probatur uti iacet.

Canon 2 (CIC 104): qui fit 3

« Actus positus ex ignorantia aut ex errore, qui versatur circa id quod eius substantiam constituit aut qui recidat in conditionem sine qua non, irritus est; secus valet, nisi aliud iure caveatur, sed actus ex ignorantia aut ex errore initus locum dare potest actioni rescissoriae ad normam iuris ».

Nulla fit animadversio et ideo probatur uti est.

Canon 3 (CIC 105): qui fit 4

« Cum iure statuatur ad certos actus ponendos Superiorem indigere consensu aut consilio aliquarum personarum:

1° Si consensus exigatur, invalidus est actus Superioris, consensum earum personarum non exquirentis aut contra earundem votum agentis; si consilium tantum requiratur, invalidus est actus Superioris easdem personas non audientis; Superior licet nulla obligatione teneatur ad earum votum, etsi concors, accedere, tamen, sine praevalenti ratione, suo iudicio aestimanda, ab earundem voto, praesertim diversarum personarum concorde, ne discedat.

2° Si requiratur consensus aut consilium plurium personarum, omnes quarum consensus aut consilium iure exigatur, legitime convocentur et mentem suam aperire possint; et si non convocentur, aut si illis non praebetur occasio manifestandi suam sententiam, actus Superioris invalidus est, salvo praescripto can. 162 § 4.

3° Omnes de consensu aut consilio requisiti obligatione tenentur ea qua par est reverentia sincere sententiam suam proferre.

4° Superior, pro sua prudentia ac negotiorum gravitate, potest easdem personas adigere ad iusiurandum de secreto servando praestandum».

Rev.mus tertius Consultor proponit ut deleatur totus numerus 4, quia insiurandum non est imponendum, et saepius in Ecclesia iusiurandum emititur et imponitur.

Ad n. 3, observat Rev.mus Secretarius Ad., verbum « reverentia » nimis esse clericale, cui assentit Rev.mus tertius Consultor, dicendo quod non est materia iuridica.

Rev.mus Relator redactionem cumulativam horum numerorum proponit.

Dissentit Rev.mus primus Consultor ex eo quod, hodie praesertim, negatur auctoritati ius imponendi secretum servandum; et alia ex parte saepe — uti compertum est — multi nolunt in adunationibus suas animadversio-

nes proferre nisi certi sint secretum servatum iri. Quaerit insuper Rev.mus primus Consultor ut saltem innuatur quod «sancte» secretum sit servandum.

Pro Rev.mo Secretario Ad. sufficit dicere «sedulo».

Ill.mo secundo Consultori quaestio non videtur tam urgens et utilis; et notare tantum intendit quod esset melius psychologice ut secretum ex-postuletur ab ipsa lege quam a Superiore.

In fine disceptationis textus qui sequitur substituendus nn. 3 et 4 a Rev.mo Secretario Ad. proponitur:

«Omnes de consensu aut consilio requisiti obligatione tenentur ut sincere sententiam suam proferant atque, si negotiorum gravitas, iudicio Superioris, id suadeat, sedulo secretum servent».

ALIAE PROPONUNTUR QUAESTIONES CONEXAE

Circa additiones et emendationes adhuc in schema canonum «De actibus iuridicis in Ecclesia» introducendas, de quibus sermo fuit in priori coetu, examini subiicitur textus canonis qui sequitur:

Canon 3 bis (olim 2 bis)

«Actus Collegii: si omnia Collegii membra ex vi et metu aut ex dolo aut ex ignorantia vel errore votum protulerint, invalidus est; si unum alterumve Collegii membrum ex vi et metu aut ex dolo aut ex ignorantia vel errore votum suum protulerit, validus est, sed locum dat actioni rescissoriae ad normam iuris».

Exc.mo quarto Consultori — refert Rev.mus Relator — substantialiter textus placet.

Ad mentem Rev.mi quinti Consultoris, non debent in canone eidem tribui effectus ignorantiae et errori ac vi, dolo ac metui. Deleret ignorantiam.

Observat Rev.mus Relator errorem magis positivum esse, sed ignorantiam includi posse.

Ill.mus secundus Consultor quaerit an actio rescissoria significet quod iudex debeat rescindere actum sit quis affectus fuit ignorantia.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. quod potest, sed non necessario debet.

Et item — ait ipse Ill.mus Vir — qui passus est dolo potest petere rescissionem. Ideo determinari debet insuper quisnam potest exercere potestatem rescissoriam.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut canon initium sumat verbis: «*In-validus censetur actus Collegii....*».

Ill.mus Secundus Consultor proponit ut loco «omnia Collegii membra» dicatur «maior pars membrorum Collegii».

Rev.mus primus Consultor vellet ut in fine canonis adiungatur « ab iis quorum interest », ita ut non solum qui passus est dolo, sed omnes quibus interest, petere possint rescissionem.

Obiicit Rev.mus tertius Consultor textum canonis esse contra prae-
sumptionem validitatis actus.

Notat Rev.mus Relator verbum « censere » indicare prae-
sumptionem iuris et de iure et non iuris tantum.

Haec significatio verbi « censere » — ait Rev.mus primus Consultor — in canonibus de significatione verborum indicanda est.

In fine, denique, discussionis textus ab omnibus receptus sic sonat:

« Invalidus censetur actus Collegii si maior pars membrorum Collegii ex vi et.....; si unum alterumve Collegii membrum..... ab iis quorum inter-
est ».

Canon 5 (olim 4): de simulatione

« Simulatio circa aliquam clausulam in contractu expressam, si facta fuerit ab alterutra parte, altera inscia, non facta censetur; si facta fuerit ab alterutra parte, altera conscientia, aut ab utraque parte, contractus est nullus ».

Circa hunc canonem multae exurgunt difficultates et res nondum matu-
ra censetur. Ideo pro nunc ad aliud tempus remittitur, cum profundius con-
siderari debeat tota materia de canonizatione iuris civilis, et cum tractari
debeat etiam de aliis actibus iuridicis qui non sunt contractus nisi latu sensu
(tertius Consultor); non enim omni sub respectu habetur canonizatio in
contractibus (tertius Consultor); et valde differens est legislatio diversarum
Nationum (Secretarius Ad.).

Permagna difficultates sunt in multis Nationibus circa negotium simu-
latum, et circa « solutio » quae non est tantum « payement », ac non pendet
solum a contractu, sed etiam a testamento, a delicto etc. (secundus Con-
sultor).

Rev.mus primus Consultor proponit ut redigatur talis canon in genere
de actibus iuridicis; sed obiicit Rev.mus Secretarius Ad. id non esse possi-
ble, quia normae non sunt eadem in omnibus Nationibus, et bonum est
servare ius civile.

Omnes concordant canonem uti talem admitti non posse. Posset consi-
derari, sed postea (Secretarius Ad.), utrum formula opportuna sit et possi-
bilis pro actu iuridico unilaterali, non tamen pro contractibus.

Si tantum actus iuridicus unilateralis respicitur, observat Rev.mus ter-
tius Consultor, norma potest dari sine ullo respectu ad legem civilem.
Sunt enim in iure canonico permulti actus unilaterales qui influunt in vita
omnium, ita, ex. gr. professio religiosa, ordinatio, etc.

Agitatur etiam quaestio inter Rev.mum Relatorem et Ill.mum secundum Consultorem, utrum in futuro iure sint actus iuridici bilaterales de quibus non valet canonizatio legum civilium et utrum conventio qua fundatur consociatio debeat applicare Codicem civilem.

Tandem aliquando, cum animadversione Ill.mi secundi Consultoris quod non sint multiplicandae normae, tota res remittitur ad aliud tempus.

Canon 5 (ex praeteritione can. de simulatione)

« Quicumque actu iuridico, immo quovis alio actu libere posito, alteri damnum inferat, obligatione tenetur ad damnum illatum reparandum ».

Nulla animadversio facta est in scriptis, notat Rev.mus Relator, circa hunc canonem, qui substantialiter debet remanere.

Ill.mus secundus Consultor quaerit utrum canon valeat pro actibus iuridicis privatis tantum an etiam pro publicis.

Tantum pro privatis valere, respondet Rev.mus Relator, quia pro publicis non datur reparatio.

In legibus civilibus — observat Ill.mus secundus Consultor — datur reparatio etiam pro actibus publicis uti, ex. gr., si quis iuxta normas legales apprehenditur nulla datur reparatio, sed si apprehensio est illegalis datur reparatio. Pro actibus publicis, tamen, notat Rev.mus Relator, specificatur in legibus civilibus quando reparatio admittitur.

Oportet tamen, instat Ill.mus secundus Consultor, ut elementum introducatur fundamentale: violatio legis et culpa iuridica etiam pro actibus iuridicis publicis. Habet, insuper, Ill.mus Vir aliquam difficultatem circa verba canonis « immo quovis alio actu libere posito », quia agi debet de libertate iuridica et non morali. Quivis actus qui damnum inferat (requiritur culpa iuridica = violatio legis) debet reparari ab eo qui actum posuit et damnum intulit. Ideo agitur de responsabilitate obiectiva, notat Ill.mus secundus Consultor.

Textus necessario, notat Rev.mus Relator, restringi deberet, quia distinctione non fit inter actus privatos et publicos. Et etiam non omnes actus iuridici privati possunt reparari.

Posset dici, proponit Rev.mus primus Consultor, « alteri damnum inferat per culpam iuridicam » vel « alteri imputabiliter... ».

Aliquo sensu utique, notat Rev.mus Secretarius Ad., sed imputabilitas est potius moralis. Proponit denique ut simpliciter dicatur: « Quicumque illegitime, actu suo... » ita ut adverbium « illegitime » respiciat sive substantiam actus iuridici, sive modum et valeat pro actibus iuridicis privatis et publicis.

Omnes sunt concordes ut textui adiungatur tantum adverbium « illegitime », et ita textus canonis probatur.

III

DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS

Canon 145 CIC

Circa notionem officii ecclesiastici, Exc.mus quartus Consultor — ita refert Rev.mus Relator —, in suis observationibus scripto datis, haec circa § 1 huius canonis, habet;

« Mihi placet opinio in ultima sessione exposita, nempe ut notionem officii in genere uti iacet in n. 20 Decreti *Presbyterorum Ordinis* accipere debeamus, cum additione tamen sententiae etiam in eadem sessione prolatae ut distinctio fiat inter officia institutionalia quae participationem aliquam in potestate ecclesiastica secumferunt et non institutionalia quae hanc participationem non habent.

« Notio officii uti ‘munus stabiliter collatum’ in definitione includi debet. Stabilitas non excludit concessionem vel exercitium officii ad tempus determinatum vel non determinatum ».

Definitionem genericam admitti debere iuxta textum Decreti conciliaris *Presbyterorum Ordinis*, n. 20, adnotat Rev.mus Secretarius Ad.; mens, enim, Concilii Oecumenici fuit ut minus strictior quam antea fiat notio officii ecclesiastici (sicut ex ipso textu praefati Decreti et ex ipsius historia constat), ita ut sit munus quod ad finem spiritualem exercetur, stabiliter collatum, sed non necessario conexum cum aliqua potestate ecclesiastica.

Assentit Rev.mus primus Consultor.

Officii ecclesiastici conceptus, obiicit Rev.mus tertius Consultor, desumi nequit a situationibus accidentalibus, sed considerari debet sub respectu illarum quae undique in Ecclesia habentur.

Instat Rev.mus Secretarius Ad. latiorem quam antea fieri debere officii definitionem, ita ut quod confertur ab Episcopo, in finem spiritualem... pro ecclesia... modo stabili, etsi pro tempore... sit officium ecclesiasticum.

Stabilitatem esse notionem valde latam, animadvertisit Rev.mus primus Consultor, et ut habeatur officium ecclesiasticum, uti in notione Concilii, sufficere stabilitatem subiectivam, sed supponere munera stabilia, adiungit tertius Rev.mus Consultor.

Contradicit Rev.mus Relator, quia non necessario officium prius creatur et postea confertur. Posset enim creari dum confertur, dummodo, iuxta praefatum Concilii Decretum, repetit Rev.mus Relator, officium detur in finem spiritualem, modo stabili (etsi pro tempore, etsi sine conexa potestate ecclesiastica). Definitio igitur officii ecclesiastici simpliciter iuxta textum Concilii sumi deberet.

Rev.mus tertius Consultor admittit officii ecclesiastici conceptum su-

mendum utique esse a notione Concilii, sed, instat: antequam conferatur determinandum est, ita ut sciatur quid confertur; secus aliquo elemento essentiali careret.

In ipso momento collationis — defendit Rev.mus Relator — determinatio insimul habetur iurum et obligationum, et hoc sufficit ad determinationem officii. Concilium, enim, Episcopo dat facultatem officium constituendi; officium non est nisi complexus obligationum et iurum.

Collatio tamen, arguit Rev.mus tertius Consultor, est ratio consecutiva et non constitutiva officii ecclesiastici.

Notat Rev.mus primus Consultor quod eodem actu officium et constituitur et confertur, atque complexus iurum et obligationum determinatur in ipso actu collationis. De ratione temporis agitur, quia natura sua prius officium constituitur et postea confertur (concordat Rev.mus quintus Consultor), sed eodem actu, eodemque tempore confertur et constituitur: constituitur conferendo.

Huic propositioni assentit Rev.mus tertius Consultor.

Realiter, prosequitur Rev.mus primus Consultor, non distinguuntur duae formalitates, sed duo aspectus, duo elementa adsunt in eodem actu: determinatio munera scilicet et collatio alicui personae.

Concordat Rev.mus Relator dicendo quod officium constituitur per Episcopum et determinatur in ipsa collatione.

Tamen Rev.mus tertius Consultor aliquam habet difficultatem pro illis casibus qui sese referunt ad delegationem et collationem officii: difficultas est ad effectum deducere in dictis casibus hanc notionem.

Sed, animadvertisit Rev.mus Relator, non omnia officia — uti iam notatum est — habent conexam potestatem ecclesiasticam.

Arguit tamen Rev.mus tertius Consultor quod, ex. gr., vicarius cooperator habet potestatem per delegationem et non per officium.

Rev.mus Secretarius Ad. respondet vicarium cooperatorem habere officium sensu Concilii et potestatem tantum ex delegatione, quia quaestio de potestate, cum non necessario officio adnexa sit, intacta remanet.

Problema complexum esse adnotat Ill.mus secundus Consultor. Certum est Concilium aliam proposuisse notionem officii ecclesiastici ab illa canonis 145.

In CIC hoc habebat officium munus: organizationis temperationis Ecclesiae, in sua activitate hierarchica-iuridica, solidam effigiem exprimere, sed administrationem Ecclesiae confregisse (atomizzare). Melius est pervenire ad definitionem officii ecclesiastici iuxta notionem Concilii, ita ut sit munus in finem spiritualem exercendum quod stabilitate subiectiva gaudeat; huius munera elementa constitutiva determinari valent momento collationis. Quaerit, denique, Ill.mus Vir utrum collatio officii ecclesia-

stici sit munus presbytero concredere, an illi donare aliquam in Ecclesiae organizatione situationem.

Notat tamen Rev.mus primus Consultor notionem officii servari debere.

Iuxta sententiam Rev.mi quinti Consultoris Concilium includere voluit in notione officii ecclesiastici etiam alias activitates quae usque adhuc locum non habebant in institutione canonica. Et ideo a notione Concilii, quasi a capite, disputatio ducenda est, sed debet tamen servari, mutatis mutandis, id quod in Codice continetur.

Ill.mus secundus Consultor notat sistema Concilii non favere responsabilitati administrativae. Opus est determinare a quo responsabilitas actuum administrativorum initium sumit. Necesse igitur est definitionem officii ecclesiastici praebere sive quoad personas, sive quoad organizationes. Elementa circa officia ecclesiastica quae sunt in Codice tantum officia stricto sensu respiciunt.

Posset poni — animadvertisit Rev.mus quintus Consultor — distinctio inter officium institutionale et non institutionale, aptis definitis principiis utriusque. Sed Rev.mus Relator observat dari posse officium institutionale quod non habeat participationem potestatis. Rev.mus primus Consultor animadvertisit notionem officii ecclesiastici a Concilio datam institutionalem esse in Ecclesia.

Prosequitur discussio, cuius in fine Rev.mus Relator hanc proponit formulam:

« Officium ecclesiasticum quodlibet munus stabiliter collatum in finem spiritualem exercendum ».

Placet omnibus.

Explicat Rev.mus Relator hoc modo haberi possibilitatem existimandi omnia munera etsi non stricte sacerdotalia.

Quaerit insuper Rev.mus Relator an placeat quod in aliis paragraphis vel canonibus dicatur aliqua officia dari ecclesiastica, quae participationem in potestate ecclesiastica (sive ordinis sive regiminis) secumferuntur.

Animadvertisit Rev.mus quintus Consultor melius esse ideam modo negativo exponere: adsunt officia quae non habent adnexam potestatem.

Respondet Rev.mus Relator notionem non esse restringendam et aestimat distinctionem non esse in hoc canone faciendam inter officia quae participationem potestatis secumferunt et alia, ita ut notio officii ecclesiastici evadat quam maxime generalis et cadit, hoc modo, § 2 can. 145.

Propositio Rev.mi Secretari Ad., secundum quam tantum notio generalis officii ecclesiastici tradenda est sine aliis determinationibus, omnibus placet.

Rev.mus primus Consultor proponit ut textui adprobato can. 145 adiungantur, ut § 2, haec verba: « complexus iurum et obligationum sin-

gulis officiis propriis determinantur sive ipsa lege sive actu collationis ab auctoritate competenti ».

Quae verba a Rev.mo Relatore hac forma proponuntur: « Obligationes et iura singulis officiis ecclesiasticis propria definiuntur sive ipsa lege qua officium instituitur et ordinatur sive decreto auctoritatis competentis quo constituitur et confertur ».

Placet omnibus hic textus, qui ideo admittitur ut § 2 primi canonis de officiis ecclesiasticis.

Canon 146 CIC

Servandum non est praescriptum in hoc canone contentum. Ad men-tem Rev.mi quinti Consultoris, omissio huius canonis de beneficiis est iam gressus ad eius abolitionem, quam tamen Concilium Tridentinum non obti-nuit.

CAPUT I DE PROVISIONE OFFICII ECCLESIASTICI

Canon 147, §§ 1 et 2 CIC

Notat Rev.mus primus Consultor: potestas Ecclesiae specifica a Christo Domino sacerdotio ministeriali (sensu pleno episcopatui) concredita est. Haec igitur Ecclesiae potestas specifica non competit sacerdotio fidelium communi, immo concedi nequit fidelibus ordinatione sacramentali carenti-bus. Et non sufficit sacerdotium commune ad ea quae ad directionem Ec-clesiae pertinent, propter ordinationem ipsius Ecclesiae. Hinc officium ec-clesiasticum, quod talem potestatem, respective exercitium vel facultatem exercitiū talis potestatis includit, laicis conferri non potest.

Altera ex parte notandum est — prosequitur Rev.mus primus Consul-tor: notionem officii Concilii Vaticani II « potestatem » tamquam elemen-tum constitutivum non continere; tantum requiritur ut sit munus in finem spiritualem ordinatum, stabiliter (stabilitate subiectiva) collatum. Tale mu-nus etiam laicis conferri posse, explicatione non indiget.

Necessarium esset videre — notat Ill.mus secundus Consultor — quo-u-sque pertingant sacerdotium fidelium commune, sacerdotium ministeriale, et participatio eorundem potestati ecclesiasticae.

Inter presbyteratum et episcopatum — notat Rev.mus quintus Consul-tor, cui accedit Rev.mus Secretarius Ad. — differentia est iuris divini.

Rev.mus primus Consultor animadvertisit in Tridentina Synodo quae-stionem apertam remansisse: tantummodo id statuitur Episcopos superiores presbyteris esse. Et in Vaticano II nulla ex professo facta est definitio: dif-

ferentia, igitur, non definitur esse iuris divini, etsi non sit iuris mere ecclesiastici.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. quod plenitudo sacerdotii in episcopis est ex iure divino. Ante Concilium Vaticanum II utique a non paucis tenebatur Episcopatum esse tantum extensionem potestatis presbyteralis, sed hodie aliquid amplius dici potest.

Notat Rev.mus quintus Consultor quod praesbyteratus participat, et, si esset ex iure divino, non participaret.

Necessaria est adhuc investigatio — instat Rev.mus primus Consultor — quia difficultas adest demonstrandi diversitatem inter ordinationem presbyteralem et episcopalem.

Prosequitur adhuc discussio cuius in fine Rev.mus Relator duas proponit formulas, nempe:

« § 1. Officium ecclesiasticum sine provisione canonica valide obtineri nequit » (vel: Officium ecclesiasticum ut valide obtineatur, requiritur provisio ecclesiastica).

Prima formula praeferitur ab omnibus.

In § 2 can. 147 substituitur tantum verbo « concessio », verbum « collatio ».

Formula cumulativa proponitur a Rev.mo Relatore § 1 et 2: « Officium ecclesiasticum ut valide obtineatur, requiritur provisio ecclesiastica, scilicet collatio officii ecclesiastici a competenti auctoritate ecclesiastica ad norman sacramonum facta ».

Sed magis omnibus placet redactio distincta duarum paragraphorum.

Canon 148 § 1 CIC

Ad mentem Litterarum Apostolicarum *Ecclesiae Sanctae* — notat Rev.mus quintus Consultor — servanda est in canone officiorum libera collatio tantum.

Animadvertisunt tamen Rev.mi Secretarius Ad ac primus et Ill.mus secundus Consultores praesentationem, quam dictae Litterae Apostolicae supprimere voluerunt, esse illam quae est ab extra, non ab intra Ecclesiae, ita ut — prosequitur Rev.mus Secretarius Ad. — Episcopi libertatem acquirant et habeant in nominatione; item ut hanc maiorem habeant libertatem, deinceps non distinguendi sunt parochi inamovibiles et amovibiles, sed non omne ius praesentationis suppressum est. Ita, ex.gr., Religiosi adhuc praesentationis iure gaudent. De electione, igitur, et de praesentatione canones haberi debent; ius patronatus, e contra, tollitur. Eaedem normae, denique, valent pro officiis non consistorialibus et consistorialibus.

Ideo sequens — dempto quidem verbo « a patrono » — proponitur redactio huius paragraphi a Rev.mo Relatore:

« Provisio officii ecclesiastici fit aut per liberam collationem (nominacionem) a legitimo Superiore, aut per institutionem ab eodem datam, si praecesserit praesentatio ad normam sacrorum canonum facta, aut per confirmationem vel admissionem ad eodem facta, si praecesserit electio vel postulatio, aut tandem per simplicem electionem et electi acceptationem, si electio non egeat confirmatione ».

Aliquae mutationes proponuntur, nempe: sufficit dicere « per liberam collationem », dempto verbo « nominationem », et loco verborum « a legitimo Superiore » melius dici potest « ab Auctoritate competenti » et denique loco « praesentatio.... facta » dicatur « praesentatio.... peracta ».

Mutationes admittuntur et ideo haec paragraphus ad omnibus probatur.

Canon 148 § 2 CIC

Notat Ill.mus secundus Consultor remissionem ad cann. 1448-1471 non esse faciendam, sed illas normas integrari debere, quia ratio separationis amplius non adest.

Conveniunt tamen omnes alii ut pro nunc res maneat sicuti est et ut postea haec quaestio tractetur.

Canon 149 CIC

Necessarium est — ita notat Ill.mus secundus Consultor — servare iudicium de idoneitate subiecti, sed modus ad ipsum iudicium pervenienti est alia quaestio.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur « idonei reperti ad normam sacrorum canonum » sine ulla determinatione in hoc loco facienda; dum Rev.mus quintus Consultor praefert ut remaneant verba « infra Romanum Pontificem ».

Contradicit tamen Em.mus Praeses propositionem sine addito meliori esse: secus innueretur quod Romanus Pontifex posset nominare non idoneos.

Ultimum iudicium de idoneitate subiectorum ad Ordinarium pertinere, arguit Rev.mus Secretarius Ad., qui textum sequentem proponit: « Nulla fiat canonica provisio officii ecclesiastici nisi illi qui ad normam sacrorum canonum idoneus sit repertus ». Postea proponit aliam formulam: « Officium ecclesiasticum ne tribuatur nisi illi qui ad illud ad normam sacrorum canonum idoneus fuerit repertus ». Omnes consentiunt de hoc textu.

Canon 150 § 1 CIC

Rev.mus Relator proponit ut dicatur « Provisio officii *iam constituti* et de iure non vacantis... », dum Rev.mus primus Consultor praefert dictionem

« stabiliter constituti », quia si constituitur — uti iam dictum est — per primam collationem, per titularis cessationem ab officio, officium non vacat. Difficultas in hoc canone ex novo conceptu officii ecclesiastici provenit.

In hoc casu, utique, non agitur de vacatione, sed de non existentia. Melius est — proponit Rev.mus Relator — ut canon maneat sicuti est.

Rev.mus primus Consultor proponit ut loco « non vacantis » dicatur modo positivo « qui titularem adhuc habeat », sed obiicit Ill.mus secundus Consultor verbum « vacans » terminologiam receptam esse.

Ponatur denique tractus inter particulam « non » et verbum « vacantis » (non-vacantis).

Placet omnibus et canon manet uti est.

Canon 150 § 2 CIC

Rev.mus Relator acclinat ut supprimatur haec paragraphus, dum Rev.mus primus Consultor melius censemt ut remaneat, quia non nocet, imo est bona. Inutilis est pro Ill.mo secundo Consultore.

Em.mus Praeses aestimat bonum esse ut remaneat, ne ius quis videatur habere.

Omnis, ultimo, conveniunt de servanda § 2 can. 150 CIC, cuius redactione hoc modo a Rev.mo Relatore proponitur: « Promissio alicuius officii, a quocumque sit facta, nullum parit iuridicum effectum ». Placet omnibus.

Canon 151 CIC

Iuxta sententiam Rev.mi Relatoris hic canon potest deleri. Tamen, notat Rev.mus primus Consultor, cum casus sit sat frequens, melius esse ut servetur: declaratio enim vacationis est utile documentum pro processu.

Etiam Em.mus Praeses exoptat ut remaneat, quia possessio per certum tempus protracta ius inducere potest.

Habere aliquam utilitatem aestimant etiam Rev.mus quintus et Ill.mus secundus Consultores.

Omnis ultimo concordant ut remaneat.

Art. I - DE LIBERA COLLATIONE

Canon 152 CIC

Rev.mus Relator proponit redactionem uti sequitur:

« Loci Ordinarius, excluso tamen Vicario Generali et Vicario Episcopali, sine speciali mandato, ius habet (aut: ipsi ius est vel competit) providendi officiis ecclesiasticis in proprio territorio per liberam collationem, nisi aliud iure caveatur ».

Hoc canone — animadvertisit Rev.mus Secretarius Ad. — duo statuuntur principia: pertinere ad Ordinarium loci provisionem officii, et quidem per liberam collationem. Hoc modo habetur praesumptio pro libera collatione, dum alii modi indigent probatione.

Notat Rev.mus primus Consultor quod diverso sensu sumitur *ius* in «ius est» et in «iure caveatur».

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur «Loci Ordinarii... est...», quod ab omnibus admittitur.

Loco «nisi aliud iure caveatur» Rev.mus quintus Consultor proponit ut servetur expressio CIC «nisi aliud probetur», ita ut intacta maneat iura particularia et ius ipsius Summi Pontificis interveniendi.

Rev.mus Relator proponit ut dicatur: «nisi aliud iure communi vel particulari caveatur».

Rev.mus primus Consultor animadvertisit sibi non placere verbum «commune» et meliorem aestimat locutionem «iure etsi particulari», sed magis praeferret formulam «nisi aliud iure caveatur», quae omnem interventum reddit possibilem.

Omnes de ultima formula convenient, ita ut dicatur sicuti propositum fuit: «nisi aliud iure caveatur».

Canon 153 CIC

Quoad § 1:

Ill.mus secundus Consultor proponit ut supprimatur verbum «clericus».

Rev.mus Relator proponit novam redactionem: «Ut ad officium ecclesiasticum quis promoveatur, iis debet qualitatibus esse praeditus, quae iure communi vel particulari aut lege fundationis ad idem officium requiruntur».

Quaerit Rev.mus quintus Consultor an necessarium sit dicere «a lege fundationis», quod e contra firmiter tenent Rev.mi Secretarius Ad. et primus Consultor.

Ill.mus secundus Consultor praeferit ut verbum «idoneus» servetur et in § inseratur, quia receptum est in doctrina. Animadversio acceptatur. Textus paragraphi placet omnibus.

Quoad § 2:

Omnes concordant ut possit remanere, aliqua, ratione linguae latinae, facta mutatione, id est: «Ad officium ecclesiasticum assumatur ille qui, omnibus perpensis, magis sit idoneus, omni personarum acceptione seclusa».

Quoad § 3:

Ill.mo secundo Consultori huius paragraphi non placet lingua latina, et Rev.mus Secretarius Ad. sequentem redactionem proponit, servatis tamen Codicis textus substantia et ordine: « Provisio officii ecclesiastici facta illi qui caret qualitatibus requisitis, irrita tantum est si qualitates iure universalis vel particulari aut lege fundationis ad validitatem provisionis expresse exigantur; secus valida est, sed irritari potest sive per sententiam iudicis sive per decretum Superioris competentis ».

Notat Rev.mus Relator in hac paragapho haberi mentionem de sententia iudicis, quia duplex habetur via, iudicialis nempe et administrativa, qua irritatio provisionis obtineri potest.

Textus propositus omnibus placet cum mutatione tantum verbi « Superioris » in « Auctoritatis ».

Non videtur, denique, Rev.mo Relatori differentiam adesse inter can. 4 (149 CIC) et hanc 1 paragaphum et ideo Rev.mus primus Consultor suppressionem suggerit dicti can. 4. Ill.mus secundus Consultor eandem tenet sententiam.

Omnis, igitur, conveniunt in supprimendo canone 4, ita tamen ut eius loco tres paragaphi huius can. 8 sufficientur, quia tota materia est generalis et respicit quemcumque provisionis modum.

Canon 154 CIC

Placet omnibus ut canon maneat; prae oculis tamen habenda est nova de diaconatu disciplina. Ideo Rev.mus Onclin hunc proponit textum, forma singulari expressum, ratione sermonis iuridici, cui magis congruit forma singularis.

« Officium quod curam animarum in foro sive externo sive interno secum fert, clero sacerdotio nondum aucto valide conferri nequit, salvis praescriptis can..... (de officiis quae a diaconis impleri valent). Placet omnibus.

Canon 155 CIC

Quaerit Ill.mus secundus Consultor an melius non sit tempus sex mensium in Codice praevisum restringere.

Omnis alii contrarii sunt. Ideo remanet textus sicut iacet.

Canon 156 CIC

In Codice §§ 1 et 2 ad eandem rem pertinent — ita notat Rev.mus Relator — et ideo in novo textu proposito in unam § redigi possunt.

In § 3 Codicis — ait semper Rev.mus Relator — exceptio continetur: putat praescriptum huius § de collatione a S. Sede facta, extendi posse ad collationem factam a locorum Ordinariis, et ideo proponit ut admittatur textus qui sequitur:

« § 1. Nemini conferantur duo vel plura officia incompatibilia, videlicet quae una simul ab eodem adimpleri nequeunt.

§ 2. Firmo praescripto can. 188, n. 3, collatio alicui facta officii incompatibilis cum eo quod iam possidet, irrita est, nisi in supplici libello vel in ipso actu collationis mentio fiat prioris, aut clausula adiiciatur derogatoria ».

Ad § 1 ipse Rev.mus Relator post verba « una simul » adiungere « rite » proponit, sed Rev.mi quintus et primus Consultores « congrue » praeferunt: Omnes consentiunt.

Ad § 2 Rev.mus quintus Consultor diceret « in litteris collationis » loco « supplici libello ». Propositio acceptatur. Adiungeret insuper, post verbum « collatio », « a Sancta Sede », sed contrarii sunt Rev.mi Secretarius Ad. et primus Consultor, eo quod hoc modo si collatio facta esset a Sancta Sede esset invalida, si ab Ordinario valida. Propositio ideo cadit, ita ut valeat § 2 de collatione facta ab Ordinario quoque.

Canon 157 CIC

Rev.mus Relator declarat sibi nondum plene placere redactionem, quam proponit novam de hoc canone, quae ita sonat:

« Officium vacans per renuntiationem aut per decretum amotionis vel translationis aut per sententiam privationis nequit ab Ordinario, qui renuntiationem acceptavit aut decretum tulit, valide conferri suis aut resignantis familiaribus, consanguineis vel affinibus usque ad secundum gradum inclusive ».

Rev.mus quintus Consultor proponit ut omnino tollatur, dum Rev.mus Relator censet quod debeat remanere quia adest sanctio nullitatis et non sufficit dicere « exclusa acceptance personarum ».

Sed hodie — instat Rev.mus quintus Consultor — nepotismo quem vocant proprie substituitur amicitia.

Potest tolli « familiaribus » sed canon remanere debet, arguunt Ill.mus secundus et Rev.mus primus Consultores. Canon — instat Rev.mus quintus Consultor — manet validus tantum pro aliquibus casibus et non pro casibus liberae collationis.

Fit suffragatio utrum canon remanere debeat.

Placet omnibus, Rev.mo quinto Consultore excepto.

Quoad formulationem, Rev.mi Secretarius Ad. et primus Consultor proponunt ut dicatur « per renuntiationem aut per decretum vel sententiam privationis », sed immediate Rev.mus Secretarius Ad. notat sufficere solum « per decretum privationis », quia si adest sententia Tribunalis res magis obiectiva certe est. Concordant omnes. Admittitur etiam suppressio verbi « familiaribus », iam antea ab Ill.mo secundo Consultore proposita.

Ideo nova redactio cum emendationibus propositis placet.

Canon 158 CIC

Rev.mus Secretarius Ad. expotat ut non remaneat verbum « impotentiam »; insuper praefert verbum etiam « auctoritatem » loco « potestatem ». Arguit e contra Ill.mus secundus Consultor, ab iis quae statuta sunt in Synodo Episcoporum: obstat ut terminologia adhibeatur per « iuridicum statum », quae potius a persona quam ab officio provenit.

Ill.mus Vir et Rev.mus quintus Consultor censem verbum « impotentiam » omitti posse.

Rev.mus Relator tamen hanc proponit formulam:

« Qui, munus alterius, negligentis vel impediti, supplens, officium confert, nullam inde potestatem acquirit in nominatum, sed huius conditio iuridica perinde constituitur, ac si provisio ad ordinariam iuris normam peracta fuisset » — vel melius — « Qui, alterum negligentem vel impeditem supplens, officium confert... » etc., ut supra. Melius tamen dicitur: « qui vicem alterius.... supplens ».

Placet omnibus secunda formula proposita.

Canon 159 CIC

« Cuiuslibet officii provisio scripto consignetur » habet Codex, id est — ait Rev.mus Relator — in actibus referatur. Ideo forsan melius est dicere: « Cuiuslibet officii provisio scripto, in actibus Curiae, consignetur ».

Placet omnibus.

Art. II - DE ELECTIONE

Canon 160 CIC

Inutile forsan est redactionem huius canonis considerare — annotat Rev.mus Relator — quia forte mutabuntur documenta quibus regitur Romani Pontificis electio; unica mutatio nunc facienda est indolis grammaticalis: « si quae » loco « si qua ».

Omnis convenient.

Canon 161 CIC

Ill.mus secundus Consultor suggerit ut in hoc canone consideretur etiam pars quam habere posset consilium presbyterale, ita ut non sufficiat praescriptum de collegiis, de quibus in textu canonis sermo fit. Posset dici « coetus personarum » (primus Consultor), vel « si cui collegio, aut coetui personarum » (quintus Consultor).

Conveniunt etiam Rev.mus Relator et Ill.mus secundus Consultor.

Ideo dicatur: « si cui Collegio aut coetui personarum sit ius eligendi... »; reliqua sicut in Codice.

Canon 162 CIC

Proponit Rev.mus Relator ut aliquid in stylo mutetur, sed ut omnia remaneant ut in canone 162. Omnes consentiunt.

Canon 163 CIC

Rev.mus Secretarius Ad. censem, ad claritatis causa, melius esse ut dicatur: « ... exclusa facultate ferendi suffragia *sive* per epistulam *sive* per procuratorem, nisi... »: in textu Codicis, particula « nisi » videtur sese referre tantum ad verba « per procuratorem ».

Conveniunt omnes.

Canon 164 CIC

Nulla fit animadversio: placet omnibus.

Canon 165 CIC

Ut congruentia habeantur cum canone 161, dicatur: « Qui non pertinet ad coetum seu collegium ad suffragium admitti non potest, salvis... »; reliqua ut in Codice: ita Rev.mus Secretarius Ad. Consentiunt omnes.

Canon 166 CIC

Videtur aliqua difficultas adesse quia laici nunc partem habere possunt in electionibus canonicis, uti ex. gr. ii qui ad consilium pastorale pertinent.

Attamen, animadvertisit Rev.mus Relator, canon respicit auctoritatem civilem eiusque ingerentiam in electionibus canonicis.

Rev.mus primus Consultor proponit ut dicatur simpliciter: « Si quis... »; dum Ill.mus secundus Consultor praferret unionem cum canone qui praecedet.

Hanc formulam proponit Rev.mus Secretarius Ad.:

« Electio, cuius canonica libertas quoquo modo impedita fuerit, ipso iure invalida est ».

Conveniunt alii omnes.

Canon 167 CIC

§ 1, n. 1: placet.

N. 2: loco « impuberis » dicatur « minores quattuordecim annorum ».

N. 3: (dummodo remaneat) dicatur « si intercesserit » et non « post » sententiam...

N. 4: quod verba ipsa post Concilium remanere nequeant omnes concordant. In novae formulae investigatione haec habentur propositiones:

— a communione ecclesiastica perfecta deficientes.

— qui delictum haeresis, schismatis, apostasiae commiserit (in coetu de Magisterio dicitur « haeresis est » et non « haeretici ») ad normam can.

Ratio est limitandi rem ad delictum tantum, quod est per se publicum: ita Rev.mus Secretarius Ad.

— Canon debet remanere sed « qui delictum » est nimis dura expressio: ita Ill.mus secundus Consultor. In coetu de laicis haec formula adhibita est — refert Rev.mus Secretarius Ad. — « In consociationibus fidelium, quae canonice agnoscantur, acatholici possunt habere partem, dummodo non sit periculum fidei pro aliis membris catholicis ».

— In CIC non fit distinctio de natura haeresis (Rev.mus primus Consultor).

— Qui delictum... per sententiam declaratoriam vel condemnatoriam (quintus Consultor).

Tandem aliquando, etiam prae oculis habendo oecumenismo hodierni temporis omnes consentiunt in formulam a Rev.mo Secretario Ad. propositam, quae sequitur:

« Qui communitati ecclesiali ab Apostolica Sede Romana seiunctae adscripti sunt, salvis statutis consociationum christifidelium de quibus in canonibus... ».

§ 1, n. 5: ut maior consideratio iuris habeatur Rev.mus Relator hunc rerum dicendarum ordinem proponit: « Carentes voce activa sive vi prae-

scripti iuris universalis aut particularis, sive ob legitimam iudicis sententiam ».

Placet omnibus.

§ 2: Manet textus uti in Codice.

Canon 168 CIC

Rev.mus Relator proponit ut hic canon fiat § 2 canonis 163, quia agitur de eadem materia. Canon autem remaneat immutatus etiam quoad formam.

Placet omnibus.

Canon 169 CIC

Quoad § 1: loco « suffragium est nullum, nisi fuerit... » dicatur: « suffragium ut validum sit requiritur... »:

1° ... ideoque invalidum est suffragium eius, qui... »: ita Rev.mus Secretarius Ad. Conveniunt alii omnes.

2° placet sicuti est.

Quod § 2: manet textus Codicis.

Canon 170 CIC

Norma haec non videtur Rev.mo Relatori absolute necessaria, imo videtur aliquid continere iuri contrarium.

Deleri posse tenet etiam Rev.mus quintus Consultor, quia suffragium fit ad bonum commune. In senatibus civilibus quis potest suffragium seipso tribuere.

Censem Rev.mus primus Consultor normam esse mansuram.

Hoc modo — notat Rev.mus Relator — unanimitas semper excluditur.

In fine disceptationis omnes conveniunt de servanda norma.

Canon 171 CIC

Omnis consentiunt in mutationes quas Rev.mus Relator proponit scilicet:

§ 1: « Antequam incipiat electio... » loco «ante electionem ».

§ 2: « servato ordine statuto » pro « praecedentiae ordine »; item

« collectisque omnibus schedulis » potius quam « collectisque ad ultimum suffragiis ».

Cetera placent.

§ 3: Placet: remanere debet.

§ 4: Placet ut loco « suffragia » dicatur « schedulae »; alia remaneant.

§ 5: Disceptatur an melius sit dicere « archivio » loco « tabulario »: consentiunt de servanda voce « tabulario ».

Canon 172

Rev.mus Relator quasdam mutatione textus et annotationes proponit, quas alii acceptant:

§ 1: « dummodo » loco « si nempe ».

— « Transtulerint » potius quam « transferant ».

— verba « in unum vel plures » in fine propositionis ponere ante verba « qui nomine... ».

§ 2: « in sacris debent esse » pree « debent esse sacerdotes ».

§ 3: Placet uti est.

§ 4: etiam in electione per compromissum praescriptum can. 170 servari debet.

Canon 173 CIC

Placet textus Codicis, facta tantum mutatione locutionis « non secura » in « non impleta », quae locum tenet etiam alias locutionis « non servata »: sufficit ut id una vice dicatur.

Canon 174 CIC

Potest remanere (citatio canonis adaptanda).

Canon 175 CIC

Rev.mus Secretaris Ad. proponit ut dicatur: « Secus effectum non habet », loco « secus omne ius ex electione quaesitum amittit », quia ius quaesitum nascitur per acceptationem.

Conveniunt alii.

Canon 176

§ 1: Decernitur ut haec paragraphus fiet § 2 can. 175 et hoc modo dicatur: « Si electus renuntiaverit omne ius ex electione amittit (dempto

« ex electione quaesitum, etsi... ») nec subsequenti acceptatione convalescit; rursus eligi potest; collegium intra mensem a cognita renuntiatione ad novam electionem procedere debet » (can. 175 § 2).

§ 2: maneat sicut in Codice — et fit § 1.

§ 3: textus manet ubi iacet, facta tamen quae sequitur mutatione; « ante intimatam confirmationem, electo non licet sese immiscere... », dempto « praetextu electionis ». Fit § 2.

Canon 177 CIC

§ 1: Aliquae mutationes proponuntur a Rev.mo Relatore, de quibus alii convenient, ita ut textus hoc modo se habeat: « Electus, si... a die *intimatae* (loco « acceptatae ») electionis... ab Auctoritate (loco « superiore ») competenti... impedimento *detentum fuisse* (transpositio verborum)... ».

§ 2: Omnes consentiunt ut mutetur verbum « Superior » in « competens Auctoritas » et ut dicatur « confirmationem denegare nequit ».

§§ 3 et 4: manent uti in Codice.

Canon 178 CIC

Loco « in poenam » dicatur « legitime » et « provisio ad eam Auctoritatem devolvitur, a qua confirmando... », loco « ad eum Superiorem ».

Placet.

Art. III - DE POSTULATIONE

Canon 179 CIC

§ 1: mutare « a competente Superiore » in « a competenti Auctoritate ».

— supprimere « etsi agatur... non egeat ».

Placet.

Canon 180 CIC

§ 1: Placet omnibus novam textus redactionem quam Rev.mus Relator proponit: « Ut postulatio vim habeat requiruntur saltem duae tertiae partes suffragiorum ».

§ 2: Omnes convenient, iuxta propositionem Ill.mi secundi Consultoris, ut servetur textus sicuti iacet, in traditionis canonicae favorem, quia textus recte quam maxime rem exprimit.

Canon 181 CIC

§ 1: «Postulatio... mitti debet ad Auctoritatem competentem ad quam..., cuius est dispensationem de impedimento concedere, aut, si facultatem non habeat, eandem ab Auctoritate superiore petere; si non requiritur confirmatio, postulatio mitti debet ad Auctoritatem competentem ad dispensationem concedendam».

§ 2: *textus remanet.*

§ 3: deleri posse hanc § animadvertisit Rev.mus Relator, sed eam iniutilem non esse censem Ill.mus secundus Consultor, qui loco «repellere» proponit ut dicatur «non admittere».

Omnis convenient de nova redactione quam Rev.mus Relator proponit: «Postulato nullum ius acquiritur ex postulatione quam quidem Auctoritas competens admittere non tenetur».

§ 4: Substituatur terminus «Superior» cum «Auctoritas competens»: ideo habetur:

«Praesentatam Auctoritati competenti postulationem electores revocare non possunt, nisi eadem Auctoritate consentiente».

Canon 182 CIC

§ 1: Habita aliqua disceptatione circa impossibilitatem omnes usus malos tollendi, probatus est *textus qui sequitur*:

«Non admissa ab Auctoritate competenti postulatione, ius eligendi ad collegium vel coetum reddit».

Reliqua praetermittuntur.

§ 2: *maneat.*

§ 3: dicatur «plenum ius statim in officio acquirit» loco «plenum ius in officio acquiritur».

Ita expleta disceptatione de quaestionibus in hac sessione pertractandis, preces de more funduntur et finis laboribus imponitur.

Proxima vice canones de officii ecclesiastici amissione examini subiicientur.

M. DE NICOLÒ
Adiutor a studiis

Romae, 28 martii 1969.

APPENDIX I

CANONES APPROBATI ET RECOGNITI

I. DE PERSONIS MORALIBUS SEU CANONICIS

Canon 1 (CIC 99)

In Ecclesia, praeter personas physicas, sunt etiam personae iuridicae seu canonicae, subiecta scilicet in ordine canonico obligationum et iurium quae earum indoli congruunt.

Canon 2 (CIC 100)

Personae iuridicae constituuntur sive ex ipso iuris praescripto sive ex speciali auctoritatis concessione per formale decretum data, sive communites personarum sive rerum complexus, in finem spiritualem, qui singulorum finem transcendit, ordinati.

Canon 3 (CIC 99 et 100)

§ 1. Personae canonicae seu iuridicae in Ecclesia sunt aut universitates personarum aut universitates rerum.

§ 2. Universitas personarum, quae non nisi ex tribus saltem personis constitui potest, est sive collegialis sive non collegialis, prout vel non est coetus aequalium, cuius membra aequali iure, ad normam iuris et statutorum, actionem communem determinant.

§ 3. Universitates rerum constant bonis seu rebus, sive spiritualibus sive materialibus, easque, ad normam iuris et statutorum, moderantur sive personae physicae sive Collegium personarum.

Canon 4 (novus)

§ 1. Personae iuridicae seu canonicae publicae sunt personarum communites ac rerum complexus, qui ab ecclesiastica auctoritate competenti constituuntur ut intra fines sibi praestitutos nomine Ecclesiae agant; ceterae personae iuridicae seu canonicae sunt privatae.

§ 2. Personae iuridicae publicae hac personalitate donantur sive ipso iure expresse eam concedente sive formalii decreto auctoritatis eandem personalitatem concedente; personae iuridicae privatae eadem personali-

tate donantur sive ipso iure, cum nempe conditiones adimpleant iure ad eam obtainendam requisitas, sive per formale decretum auctoritatis ecclesiasticae eandem personalitatem concedens.

§ 3. Nulla personarum communitas nullusque rerum complexus personalitatem iuridicam obtainere intendens, eamdem consequi valet nisi cuius statuta ab auctoritate ecclesiastica sint probata.

Canon 5 (CIC 100 § 3)

Personae canonicae seu iuridicæ, sive sint universitates personarum sive universitates rerum, gaudent favoribus quibus in iure pollent minores.

Canon 6

Personam canonicam publicam repraesentant, eius nomine agentes, ii quibus iure communi vel particulari aut propriis statutis, ad norman iuris conditis, haec competentia agnoscitur; personam canonicam privatam, ii quibus eadem competentia per statuta tribuitur.

Canon 7 (CIC 101)

Ad actus collegiales quod attinet:

1° Si agatur de electionibus, et iure aliud cautum non sit, id vim habet iuris, quod, praesente quidem maiore parte eorum qui convocari debent, placuerit parti absolute maiori eorum qui sunt praesentes, aut, post duo inefficacia scrutinia, parti relative maiori in tertio scrutinio; quod si suffragia aequalia fuerint, post tertium scrutinium, praeses paritatem dirimat; si vero praeses eam dirimere noluerit, is electus habeatur qui antiquior est primum ordinatione, dein prima professione, denique aetate.

2° Si agatur de aliis negotiis, nisi aliud iure caveatur, id vim habet iuris quod, praesente quidem maiore parte eorum qui convocari debent, placuerit parti absolute maiori eorum qui sunt praesentes; quod si suffragia aequalia fuerint, praeses suo voto paritatem dirimat.

3° Quod autem omnes, ut singulos, tangit, ab omnibus et singulis adprobari debet.

Canon 8 (CIC 102)

§ 1. Persona canonica natura sua perpetua est; extinguitur tamen si a competente auctoritate ecclesiastica legitime supprimatur aut per cen-

tum annorum spatum agere desierit; persona canonica privata insuper extinguitur, si ipsa consociatio voluntate membrorum suppressatur, aut si, de iudicio auctoritatis ecclesiasticae competentis, ipsa fundatio ad normam statutorum esse desierit.

§ 2. Si vel unum ex personae iuridicae collegialis membris supersit, et personarum communitas secundum statuta esse non desierit, omne ius communitatis in illud membrum recidit.

§ 3. Iurium patrimonialium et bonorum personae canonicae extinctae destinatio regitur ipso iure et statutis, si persona extincta est publica, statutis propriis, si est privata.

II. DE ACTIBUS IURIDICIS

Canon 1 (novus)

Validus est actus iuridicus a persona habili vel competenti positus, nisi in eo deficiant quae actum ipsum essentialiter constituunt, aut desiderentur sollempnia vel conditions a lege ad validitatem actus imposita.

Canon 2 (CIC 103)

§ 1. Actus positus ex vi ab extrinseco personae illata, cui ipsa nequam resistere potuit, pro infecto habetur.

§ 2. Actus positus ex alia vi et metu gravi et iniuste incusso aut ex dolo valet, nisi aliud iure caveatur; sed potest, ad normam can. (1684-1689) per sententiam iudicis rescindi, sive ad instantiam partis laesae eiusve ius obtinentium sive ex officio.

Canon 3 (CIC 104)

Actus positus ex ignorantia aut ex errore, qui versatur circa id quod eius substantiam constituit aut qui recidat in conditionem sine qua non, irritus est; secus valet, nisi aliud iure caveatur, sed actus ex ignorantia aut ex errore initus locum dare potest actioni rescissoriae ad normam iuris.

Canon 4 (novus)

Invalidus censetur actus Collegii si maior pars membrorum Collegii ex vi et metu aut ex dolo aut ex ignorantia vel errore votum protulerint; si unum alterumve Collegii membrum ex vi et metu aut ex dolo aut ex ignorantia vel errore votum suum protulerit, validus est, sed locum dat actioni rescissoriae ad normam iuris, ab iis quorum interest.

Canon 5 (CIC 105)

Cum iure statuatur ad certos actus ponendos Superiorem indigere consensu aut consilio aliquarum personarum:

1º Si consensus exigatur, invalidus est actus Superioris, consensum earum personarum non exquirentis aut contra earundem votum agentis; si consilium tantum requiratur, invalidus est actus Superioris easdem personas non audiens; Superior licet nulla obligatione teneatur ad earum votum, etsi concors, accedere, tamen, sine praevalenti ratione, suo iudicio aestimanda, ab earundem voto, praesertim diversarum personarum concorde, ne discedat.

2º Si requiratur consensus aut consilium plurium personarum, omnes quarum consensus aut consilium iure exigatur, legitime convocentur et mentem suam aperire possint; et si non convocantur, aut si illis non praebetur occasio manifestandi suam sententiam, actus Superioris invalidus est, salvo praescripto can. 162 § 4.

3º Omnes de consensu aut consilio requisiti obligatione tenentur ut sincere sententiam suam proferant atque, si negotiorum gravitas, iudicio Superioris, id suadeat, sedulo secretum servent.

Canon 6 (novus)

Quicumque illegitime actu iuridico, immo quovis alio actu libereposito, alteri damnum inferat, obligatione tenetur ad damnum illatum reparandum.

APPENDIX II

TITULUS IV: DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS

Canon 1 (CIC 145)

§ 1. Officium ecclesiasticum est quodlibet munus stabiliter collatum in finem spiritualem exercendum (Conc. Vat. II, Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 20).

§ 2. Obligationes et iura singulis officiis ecclesiasticis propria definiuntur sive ipsa lege qua officium instituitur et ordinatur sive decreto auctoritatis competentis quo constituitur et confertur.

Caput I - DE PROVISIONE OFFICII ECCLESIASTICI

Canon 146 CIC supprimitur

Canon 2 (CIC 147)

§ 1. Officium ecclesiasticum sine provisione canonica valide obtineri nequit.

§ 2. Nomine canonicae provisionis venit collatio officii ecclesiastici a competenti auctoritate ecclesiastica ad normam sacrorum canonum facta.

Canon 3 (CIC 148)

§ 1. Provisio officii ecclesiastici fit aut per liberam collationem ab Auctoritate competenti factam aut per institutionem ab eadem datam, si praecesserit praesentatio ad normam sacrorum canonum peracta, aut per confirmationem vel admissionem ab eadem factam, si praecesserit electio vel postulatio, aut tandem per simplicem electionem et electi acceptationem, si electio non egeat confirmatione.

§ 2. De officiorum provisione per institutionem serventur praescripta cann. 1448-1471.

Canon 4 (CIC 153)

§ 1. Ut ad officium ecclesiasticum quis promoveatur, esse debet ideo-neus, scilicet iis qualitatibus esse praeditus, quae iuri universalis vel particulari aut lege fundationis ad idem officium requiruntur.

§ 2. Ad officium ecclesiasticum assumatur ille qui, omnibus perpensis, magis sit idoneus, omni personarum acceptione seclusa.

§ 3. Provisio officii ecclesiastici facta illi qui caret qualitatibus requisitis, irrita tantum est si qualitates iure universalis vel particulari aut lege fundationis ad validitatem provisionis expresse exigantur; secus valida est, sed irritari potest sive per sententiam iudicis sive per decretum Auctoritatis competentis.

Canon 5 (CIC 150)

§ 1. Provisio officii de iure non-vacantis ad normam can. 183 § 1 est ipso facto irrita, nec subsequente vacatione convalescit.

§ 2. Promissio alicuius officii, a quocumque sit facta, nullum parit iuridicum effectum.

Canon 6 (CIC 151)

Officium de iure vacans, quod forte adhuc ab aliquo illegitime possidetur, conferri potest, dummodo rite secundum sacros canones declaratum fuerit eam possessionem non esse legitimam, et de hac declaratione mentio fiat in litteris collationis.

Art. I - DE LIBERA COLLATIONE

Canon 7 (CIC 152)

Loci Ordinarii, excluso tamen Vicario generali et Vicario episcopali sine speciali mandato, est libera collatione providere officiis ecclesiasticis in proprio territorio, nisi aliud iure caveatur.

Canon 8 (CIC 154)

Officium quod curam animarum in foro sive externo sive interno secum fert, clero sacerdotio nondum aucto valide conferri nequit, salvis praescriptis can.... (de officiis quae a diaconis impleri valent).

Canon 9 (CIC 155)

Officii provisio, cui nullus terminus fuerit lege speciali praescriptus, numquam differatur ultra sex menses utiles ab habita vacationis notitia, firmo tamen praescripto can. 458.

Canon 10 (CIC 156)

§ 1. Nemini conferantur duo vel plura officia incompatibilia, videlicet quae una simul ab eodem congrue adimpleri nequeunt.

§ 2. Firmo praescripto can. 188, n. 3, collatio alicui facta officii incompatibilis cum eo quod iam possidet, irrita est, nisi in litteris collationis mentio fiat prioris, aut clausula adiiciatur derogatoria.

Canon 11 (CIC 157)

Officium vacans per renuntiationem aut per decretum privationis nequit ab Ordinario, qui renuntiationem acceptavit aut decretum tulit, valide conferri suis aut resonantis consanguineis vel affinibus usque ad secundum gradum inclusive.

Canon 12 (CIC 158)

Qui alterum negligentem vel impeditum supplens, officium confert, nullam inde potestatem acquirit in nominatum, sed huius conditio iuridica perinde constituitur, ac si provisio ad ordinariam iuris normam peracta fuisset. (Aut: «*Qui vicem alterius negligentis vel impediti supplens, officium confert...* »).

Canon 13 (CIC 159)

Cuiuslibet officii provisio scripto, in actibus Curiae, consignetur.

Art. II - DE ELECTIONE

Canon 14 (CIC 160)

Romani Pontificis electio unice regitur const. Pii X *Vacante Sede Apostolica*, 25 decembris 1904; in aliis electionibus ecclesiasticis serventur praescripta canonum qui sequuntur, et peculiaria, si quae sint, pro singulis officiis legitime statuta.

Canon 15 (CIC 161)

Si cui collegio aut coetui personarum sit ius eligendi ad officium, electione, nisi aliud iure cautum fuerit, numquam differatur ultra trimestre utile computandum ab habita notitia vacationis officii; quo termino inutiliter elapso, Auctoritas ecclesiastica, cui ius confirmandae electionis vel ius providendi successive competit, officio vacanti libere provideat.

Canon 16 (CIC 162)

§ 1. Salvis peculiaribus constitutionibus vel consuetudinibus, collegii aut coetus praeses, statuto modo, loco ac tempore electoribus convenienti, convocet omnes de collegio aut coetu; et convocatio, quando personalis esse debet, valet, si fiat vel in loco domicilii aut quasi-domicilii vel in loco commorationis.

§ 2. Si quis ex vocandis neglectus et ideo absens fuerit, electio valet, sed ad eius instantiam debet, probata quidem praeteritione et absentia, a competenti Auctoritate irritari, etiam secuta confirmatione, dummodo iuridice constet recursum saltem intra triduum ab habita notitia electionis fuisse transmissum.

§ 3. Quod si plures quam tertia pars electorum neglecti fuerint, electio est ipso iure nulla.

§ 4. Defectus convocationis non obstat, si praetermissi nihilominus interfuerint.

§ 5. Si agatur de electione ad officium quod electus ad vitam retinet, convocatio electorum ante officii vacationem nullum habet iuridicum effectum.

Canon 17 (CIC 163)

§ 1. Convocatione legitime secuta, ius eligendi pertinet ad eos qui praesentes sunt die in convocatione statuto, exclusa facultate ferendi suffragia sive per epistolam sive per procuratorem, nisi lege peculiari aliud caveatur.

§ 2. Si quis ex electoribus praesens sit in domo in qua fit electio, sed electioni ob infirmam valetudinem interesse nequeat, suffragium eius scriptum a scrutatoribus exquiratur, nisi aliter particularibus legibus vel legitimis consuetudinibus fuerit constitutum.

Canon 18 (CIC 164)

Etsi quis plures ob titulos ius habeat ferendi nomine proprio suffragii, non potest nisi unicum ferre.

Canon 19 (CIC 165)

Qui non pertinet ad coetum seu collegium, ad suffragium admitti non potest, salvis privilegiis legitime quaeatis; secus, electio est ipso facto nulla.

Canon 20 (CIC 166)

Electio, cuius canonica libertas quoquo modo impedita fuerit, ipso iure invalida est.

Canon 21 (CIC 167)

§ 1. Nequeunt suffragium ferre:

1° Incapaces actus humani;

2° Minores quattuordecim annorum;

3° Censura vel infamia iuris affecti, si intercesserit sententia declaratoria vel condemnatoria;

4° Qui communitate ecclesiasticali ab Apostolica Sede Romana seiunctae adscripti sunt, salvis statutis consociationum christifidelium de quibus in canonibus...;

5° Carentes voce activa sive vi praescripti iuris universalis aut particularis, sive ob legitimam iudicis sententiam.

§ 2. Si quis ex praedictis admittatur, eius suffragium est nullum, sed electio valet, nisi constet, eo dempto, electum non retulisse requisitum suffragiorum numerum, aut nisi scienter admissus fuerit excommunicatus per sententiam declaratoriam vel condemnatoriam.

Canon 22 (CIC 169)

§ 1. Suffragium ut validum sit, requiritur:

1° liberum; ideoque invalidum est suffragium eius, qui metu gravi aut dolo directe vel indirecte, adactus fuerit ad eligendam certam personam aut plures disiunctive;

2° secretum, certum, absolutum, determinatum.

§ 2. Conditiones ante electionem suffragio appositae tanquam non adiectae censentur.

Canon 23 (CIC 170)

Suffragium sibi meti ipsi nemo valide dare potest.

Canon 24 (CIC 171)

§ 1. Antequam incipiat electio, per secreta suffragia deputentur, nisi iam propriis statutis deputati sint, e gremio collegii aut coetus duo saltem scrutatores, qui una cum praeside, si et ipse e gremio collegii sit, iuriurandum interponant de munere fideliter implendo ac de secreto servando circa acta in comitiis, etiam expleta electione.

§ 2. Scrutatores current ut suffragia secreto, diligenter, singillatim et servato ordine statuto ab unoquoque electore ferantur; collectisque omnibus schedulis, coram praeside electionis, secundum formam propriis constitutionibus vel legitimis consuetudinibus statutam, inspiciant an schedularum numerus respondeat numero electorum, suffragia ipsa scrutentur palamque faciant quot quisque retulerit.

§ 3. Si numerus suffragiorum superet numerum eligentium, nihil est actum.

§ 4. Schedulae statim, peracto unoquoque scrutinio, vel post sessionem, si in eadem sessione habeantur plura scrutinia, comburantur.

§ 5. Omnia electionis acta ab eo, qui actuarii munere fungitur, accurate describantur, et saltem ab eodem actuario, praeside ac scrutatoribus subscripta, in collegii tabulario diligenter asserventur.

Canon 25 (CIC 172)

§ 1. Electio, nisi aliud iure caveatur, fieri etiam potest per compromissum, dummodo electores, unanimi et scripto consensu, inidoneos sive de gremio sive extraneos ius eligendi pro ea vice transtulerint, unum vel plures, qui nomine omnium ex recepta facultate eligant.

§ 2. Si agatur de clericali collegio aut coetu, compromissarii in sacris debent esse constituti; secus electio est invalida.

§ 3. Comprimissarii debent pro validitate electionis conditiones compromisso appositas, quae non sint contra ius commune, observare; si nullae conditiones additae fuerint, servandum ipsis est ius commune circa electiones; conditiones autem contra ius pro non appositis habeantur.

§ 4. Etiam in electione per compromissum praescriptum can. 170 servari debet.

Canon 26 (CIC 173)

Cessat compromissum et ius eligendi redit ad compromittentes:

- 1° Revocatione a collegio aut coetu facta, re integra;
- 2° Non impleta aliqua conditione compromisso apposita;
- 3° Electione absoluta, si fuerit nulla.

Canon 27 (CIC 174)

Is electus habeatur et a collegii aut coetus praeside proclametur, qui requisitum suffragiorum numerum retulerit, ad normam can...

Canon 28 (CIC 175)

§ 1. Electio illico intimanda est electo, qui debet saltem intra octiduum utile a recepta intimatione manifestare utrum electioni consentiat, an eidem renuntiet; secus electio effectum non habet.

§ 2. Si electus renuntiaverit, omne ius ex electione amittit nec subsequenti acceptatione convalescit; rursus eligi potest; collegium aut coetus intra mensem a cognita renuntiatione ad novam electionem procedere debet.

Canon 29 (CIC 176)

§ 1. Acceptatione electionis electus, si confirmatione non egeat, plenum ius statim obtinet; secus, non acquirit nisi ius ad rem.

§ 2. Ante intimatam confirmationem, electo non licet sese immiscere administrationi officii sive in spiritualibus sive in temporalibus, et actus ab eo forte positi nulli sunt.

Canon 30 (CIC 177)

§ 1. Electus, si electio confirmatione indigeat, saltem intra octiduum a die intimatae electionis confirmationem ab Auctoritate competenti petere per se vel per alium debet; secus omni iure privatur, nisi probaverit se a petenda confirmatione iusto impedimento detentum fuisse.

§ 2. Competens Auctoritas, si electum repererit idoneum, et electio ad norman iuris fuerit peracta, confirmationem denegare nequit.

§ 3. Confirmatio in scriptis dari debet.

§ 4. Recepta confirmatione, electus obtinet plenum ius in officio, nisi aliud in iure caveatur.

Canon 31 (CIC 178)

Si electio intra praescriptum tempus peracta non fuerit, aut collegium iure eligendi legitime privetur, libera officii provisio ad eam Auctoritatem devolvitur, a qua confirmando esset electio vel cui ius providendi successive competit.

Art. III - DE POSTULATIONE*Canon 32 (CIC 179)*

§ 1. Si electioni illius, quem electores aptiorem putent ac preferant, impedimentum obstet, super quo dispensari possit ac soleat, suis ipsi suffragiis eum possunt, nisi aliud iure caveatur, a competenti Auctoritate postulare.

§ 2. Compromissarii postulare nequeunt, nisi id in mandato aut compromisso fuerit expressum.

Canon 33 (CIC 180)

§ 1. Ut postulatio vim habeat, requiruntur saltem duae tertiae partes suffragiorum.

§ 2. Suffragium pro postulatione exprimi debet per verbum: *postulo*, aut aequivalens; formula: *eligo vel postulo*, aut aequipollens, valent pro electione, si impedimentum non existat, secus pro postulatione.

Canon 34 (CIC 181)

§ 1. Postulatio saltem intra octiduum mitti debet ad Auctoritatem competentem ad quam pertinet electionem confirmare, cuius est dispensationem de impedimento concedere, aut, si facultatem non habeat, eandem ab Auctoritate superiore petere; si non requiritur confirmatio, postulatio mitti debet ad Auctoritatem competentem ad dispensationem concedendam.

§ 2. Si intra praescriptum tempus postulatio missa non fuerit, ipso facto nulla evadit, et electores pro ea vice privantur iure eligendi aut postulandi, nisi probent se a mittenda postulatione iusto detentos fuisse impedimento.

§ 3. Postulato nullum ius acquiritur ex postulatione quam quidem Auctoritas competens admittere non tenetur.

§ 4. Praesentatam Auctoritati competenti postulationem electores revocare non possunt, nisi Auctoritate consentiente.

Canon 35 (CIC 182)

§ 1. Non admissa ab Auctoritate competenti postulatione, ius eligendi ad collegium vel coetum reddit.

§ 2. Quod si postulatio admissa fuerit, id significetur postulato, qui respondere debet ad normam can. 28 § 1 (CIC 175).

§ 3. Si eam acceptet, plenum ius statim in officio acquirit.